



Justi Taets van Amerongen Oratio de studiis literariis reipublicae utilissimis ...

<https://hdl.handle.net/1874/214716>

JUSTITAE
VAN AMERONGEN

ORATIO

DE

STUDIIS LITERARIIS
REIPUBLICAE UTILISSIMIS.

HABITA AD D. I. AUGUSTI,
CIO. 10. CC. XLII.

CUM PUBLICO AMPLISSIMORUM SCHOLAE
DELFICAE CURATORUM DECRETO
AD ALTIORA ACADEMIARUM SUB-
SELLIA PROVEHERETUR.



DELPHIS Apud REGNERUM BOITET.

JUSTITIA
VAN AMERONGEN

ORATIO

DE

STUDIIS LITERARIIS
REPUBLICAE UTILISSIMIS

SCRIPTA AD A. RECENTE

CIV. 19. CC. XII

CUM PUBLICO AMPLISSIMORUM SCHOLARUM
DELICIAE CURATORUM DECRETUM
AD ALTIORA ACADEMIARUM SUB-
SILLIA PROVEHERETUR

7
P E R I N L V S T R I B V S
A C. G E N E R O S I S S I M I S
V I R I S
J O A N N I. A D O L P H O
B A R O N I. V A N. R E N E S S E

TOPARCHAE. IN. LOCKHORST. 'sHEERENAARTSBERGEN
BERGAMBAGT. ATQVE. AMMERSTOL. ETC. ETC
PERINLVSTRIS. AC. PRAEPOTENTIS. DIOECESIOS
TRAJECTINAE. EQVESTRIS. ORDINIS. PRAESIDI
EJVSDEMQVE. AVCTORITATE. COLLEGIO. DEPVATORVM
ADSCRIPTO. AGGERVM. DENIQVE. QVI. SVPERIOREM
LECCAE. PARTEM. COERCENT. CVRATORI. ETC. ETC
ETC

PER. ADFINITATEM. PATRVO. MAGNO
OMNI. HONORE. OBSEQVIO. PIETATE
AETERNVM. VENERANDO

JACO.

J A C O B O. H E N R I C O
C O M I T I. D E. R E C H T E R E N

TOPARCHAE. IN. WESTERVELD. ETC. ETC
PERINLVSTRI. NOBILIVM. TRANSISALANIAE. ORDINI
ADSCRIPTO. CAPITVLI. DIVI. PETRI. QVOD. TRAJECTI
AD. RHENVN. EST. CANONICO. ETC. ETC. ETC.

AVVNCVLO. SVO. PER. ADFINITATEM. JVNCTO
EO. QVO. PAR. EST. OBSERVANTIAE. ET
HONORIS. CVLTV. SEMPER. PROSEQVENDO

VT. SE. SVAQVE. COMMENDARET

H O C

QVALECVMQVE. PIETATIS. MONVMENTVM
CVM. AMPLIVS. HABERET. NIHIL
TENVI. PECVLIO. DIVES

P.

J V S T V S. T A E T S
V A N. A M E R O N G E N

JUSTI TAETS VAN
AMERONGEN
ORATIO

DE

STUDIIS LITERARIIS, REI-
PUBLICAE UTILISSIMIS.

GYMNASII DELFICI CURATORES AMPLIS-
SIMI, GRAVISSIMI, MUNIFICENTISSIMI.

STRENUISSIME AC GENEROSISSIME PRAE-
TOR.

AMPLISSIMI, SANCTISSIMI, PRUDENTIS-
SIMI CONSULES, JUDICES, SENATORES.
QUIQUE IIS ESTIS A TABULIS PUBLI-
CIS, VIRI SPECTATISSIMI.

A

SACRO-

6 O R A T I O.

SACRORUM VOLUMINUM INTERPRETES
DISERTISSIMI, FIDELISSIMI.


OMNIUM ARTIUM AC SCIENTIARUM DO-
CTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTIS-
SIMI, ACUTISSIMI.

VIGILANTISSIME RECTOR.

PRORECTOR, CETERIQUE PRAECEPTO-
RES DOCTISSIMI.

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CUJUS-
CUMQUE DIGNITATIS, ORDINIS AC LO-
CI AUDITORES ORNATISSIMI, EXOPTA-
TISSIMI.

TU DENIQUE, LECTISSIMA STUDIOSAE JU-
VENTUTIS CORONA, COMMILITONES
MEI DILIGENTISSIMI, JUCUNDISSIMI.



Lphonfus Arragoniae et Siciliae
Rex, quum aliquando dicentem
quemdam, vel potius insane ac tur-
piter jaçantem audiret: *non decere*
Principes Viros scire Literas, nil a-
liud stolidis miserandi hominis ver-
bis obposuisse dicitur, *quam bovis eam, non hominis*
vo-

vocem esse. Si ullum, Auditores, verum aut cordatum, verissimum et sapientissimum, si quid video, hoc commemorati Regis, maximi profecto animi ac fortitudinis Principis dictum censeferi convenit; eos certe, qui populos civesque feliciter continere ac regere cupiant, bene gubernandi rationem ex praeceptis colligere oportet, quod quomodo sine Eruditione ac Literarum cognitione commode fieri possit, alii, si ita fas sit, demonstrent. Videant tamen, quo relegant divinum illud Platonis effatum: *Tum demum beatas fore Resp. si eas aut Philosophi regant, aut illi, qui regunt, philosophentur.* Non fert nunc animus haec pluribus persequi: sed ut aliud ex alio incidit, multa animo et cogitatione percurrere, et tandem ex omnibus iis colligere coepi: non tantum Studia Literarumque commercia utilitatem summam Regentibus, sed Civibus potissimum Reique publicae eximia commoda atque ornamenta adferre utilissima.

Hoc ipsum illud est, Auditores Humanissimi, quod in praesentia demonstrare conabor. Vestrum erit favere linguis, meque non de lana caprina, sed de re dignissima dicere instituentem, favo-

re vestro ac benevolentia sublevare: id quod non tam, quod de voluntate vestra dubitem, qui honestis Juvenum conatibus laudabili prorsus instituto a longo jam tempore favere consueveritis, quam quia mos est ita rogandi, majorem in modum rogo.

Rem ita se habere, vel sola demonstrat Dei T. O. M. perfecta eaque adoranda voluntas. Ex hac enim, cum omnia sunt creata bona, eadem quoque censei debent utilia. Neutiquam sane Divina ista Majestas, nihil faciens frustra, in hominum mentibus facultates intelligendi et judicandi indidisset, nisi simul voluisset, easdem esse Scientiarum atque Artium semina. Et frustra semina illa mentibus hominum essent injecta, nisi Artes et Scientiae ex iis principiiseductae, et quasi de fontibus suis manantes insignem aliquando omnibus et singulis hominibus utilitatem adferre et quaevis commoda comparare possent. Aliter qui sentiat, is profecto in Diam mentem non solum iniquus est judex, sed et in summum illud ac sapientissimum Creatoris Numen injurius esse cognoscitur.

Sed ne forsân Studiis Literarumque disciplinis
mul-

multa nimis adrogasse, aut jactantius quam verius dixisse videar, agite, Auditores, consideremus Scientias atque Literarum Studia propius, et rem per partes examinemus, patebitque, ni me omnia fallunt, clarissime, nil magis verum esse, quam quod propositione nostra statuimus.

Summam adfert hominibus quibuscumque utilitatem Ratiocinatio aut ratiocinandi Ars, quae, ut verba Ciceronis, testis gravissimi, hic mea faciam, quum ad naturam eximiam atque inlustrem adcesserit, tum nescio quid praeclarum ac singulare solet existere, atque hominum animis mirarum varietate efflorescere. Haec efficit, ut homo divinae naturae quodammodo fiat particeps, qui sine illa plumbeus ut plurimum et stupidus est, sus Boeötica aut Arcadum bardus. Hac Arte inlustratae mentes judicia formare discunt limatula et politula, rerum pretia ponderant, bonum a malo, rectum a distorto discernunt, atque veris non nisi veras genuinasque eliciunt sententias. Hac Arte qui destituuntur, heu! quam temere sibi ipsi probro sunt et dedecori, et quantum non raro cum insigni aliorum damno peccare

reperiuntur ! Ex ignorantia bonae Ratiocinationis , spretisque Artis praeceptis salutaribus mala proveniunt consilia, temeraria, damnosa, immo nonnumquam stolidia. Proveniunt suspiciones injustae, fallaciae ab impostoribus et veteratoribus inlatae, quaeque similia monstra amicitiam ac necessitudinem cum turbare, tum etiam plane evertere solent. Hac itaque ratiocinandi Arte ac doctrina suo loco ac dignitate collocata, plurimum equidem humano generi consuli, nemo sanae mentis ibit inficias.

Cum autem omnium rerum auctor Deus hominem ratione non solum, sed etiam dicendi facultate supra cetera omnia animantia, quae Natura prona ac ventri, ut Sallustius ait, obedientia finxit, voluit esse praeditum, quod ratio non tam juvaret nos, nec in nobis esset manifesta, nisi quae mente concepissemus, ea etiam promere loquendo possemus : nihil certe justius est, nihil dignius, nihil humano generi adcommodatius excogitari potest, quam ut haec sermonis facultas arte instruatur Oratoria, id quod nuper e Commilitone, Juvene disertissimo, ex eodem hoc loco audivistis, praeceptisque juvetur. Quo facto cives elegantiore non tantum et copio-

sio-

O R A T I O. II

fiore, sed et prudentiore sermone plus valebunt, capietque exinde Civitas et Resp. hoc utilitatis, ut negotia sua felicius agant cives, causæque privatae ac publicae commodius perficiantur. Est enim Oratoria humanarum non minus, quam divinarum rerum, quasi sol quidam, qui radios suos longe lateque diffundit, et lumen suum nulli invidet, nisi qui, instar Troglodytarum, id ipsi fugiunt. Hac Arte et Scientia prodibunt in Theologis Chrysostomi, Ambrosii et lactei sermonis Lactantii: In judiciis stabunt fortiter optimi causarum Patroni, Cicerones, Sulpitii, Scaevolae, qui oratoriis praeceptis exculti sciant causas quasque definiendo explicare, de singulis clare et ornate dicere, testium productorum fidem argumentis firmissimis vel probare vel refellere: qui judicum animos, rivorum instar, quo velint, flectere non ignorent. Facebant lixae et calones, ne mutire quidem vultures togati, nec, qui ceteroquin firmis adstant lateribus, hiscere audebunt rabulae forenses: In belli Ducibus Heroes magnifice incedent, qui non solum tubarum clangore, tympanorumque strepitu animos militum ad pugnam, sed et ad virtutem ac gloriam orationibus

nibus acuant ac confirmant. Plura, quam quae dicta sunt, adhuc superesse non ignoro, H. A.. Verum cum me diutius, quam aut opinio tulerit, aut voluntas, in his versatum esse intelligam, exigit tempus, ut orationem ad alia transferam, in quibus reliqui sermonis brevitate vestram in me adtente audiendo benignitatem compensare proposui.

Progrediamur itaque ad Doctrinam seu Philosophiam moralem, quam Ethicam suo nomine dixerunt. Cujus quanta sit in Civitate et Populo utilitas, vel ex eo patet, quod illa inperitam atque ut plurimum barbaram multitudinem ita leniat, erudiat, corrigat, ut non tantum Civitas in pejus ruere et spelunca quasi latronum evadere necesse non habeat, sed et homines mansuetiores, mitiores et a feritate alieniores, et ad communitatem vitae ac victus paratiores proveniant, immo in spem et fiduciam summae felicitatis erigantur ac corroborentur.

Efficat hoc Ethica, quoties publice et privatim, scriptis et dictis improbitatis atque injustitiae turpitudinem, insequentiumque cum tempore suppliciorum Divinorum severitatem gravitatem-
que

que ob oculos ponit : quoties justitiae ac decori studiosissima docet et inculcat , quid officiorum Deo T. O. M. quid nobis debeamus , quid aliis. Coërceantur vitia propositis legibus , refrenentur scelera justis acerbisque poenis , immo quaecumque suppliciorum genera maleficiis statuuntur : incassum tamen magnam partem de quiete publica laborabitur , nisi doctrina de moribus hominibus de meliori vitae ratione ineunda persuadeat. Nec quisquam hic mihi leges , aut dirissimos cruciatus , aut mille carnifices fingat , qui , ut jactatum aliquando stolide fuit ac temere , facile laudatissimae hujus doctrinae vices supplerent. At ! quam angusta innocentia est ad legem bonum esse ! Quisquis solis legibus metuque poenarum in officio continetur ; iis , quoties inpune licebit , haudquaquam obtemperabit : sed spernet ac contemnet : jam aliter explicabit , seu finem , quem lex sibi propositum habeat , aut non percipiet , aut plane negliget , quod utinam quotidiana experientia non satis doceret ! Sola , sola morum et cordata pietatis doctrina in causa honestatis primas sibi vindicat ac facile tuetur.

Hinc autem ad Jurisprudentiae studium , aequi
 B boni-

bonique disciplinam oculos, quaeso, advertamus. Haec illa est, Auditores, omnium Domina et Regina virtutum, a qua in omne hominum genus jura manarunt, quae virtutibus honores et praemia, vitiis vero ignominias et supplicia proponens studia bonorum excitat, malorum improbitatem coercet: qua e medio sublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non ipsa denique universitas rerum stare ac tueri se punctum temporis possit. Hac aequissimae non tantum feruntur leges, latae cognoscuntur et explanantur, sed legum causae et fundamenta, abdita haud raro et obscura, deteguntur. Jurisprudencia, ut verbo dicam, jure suo cavet, consilio juvat et prodest quam plurimis. Quo magis autem hujus scientiae splendor inter homines obfuscatur, eo propius plurimarum rerum confusio inducitur. Quo vero diligentius conservatur, augetur et inlustratur, eo omnia rectius sese habent, justioreque ordine procedunt. Jurisprudencia denique merito suo possit dicere, quod ille Pythius quondam Apollo, se esse eam, unde sibi, si non Populi et Reges, at omnes sui cives consilium expetant.

Suc-

Succedat nunc scientia Medica, non autem ea, quam circumforanei Agyrtæ aut sordidi et unilucro inhiantes circulatores in pio sane ausu, quome Hercule nil turpius sub sole, ac detestando Reip. malo, dehonestant: sed vera ista ac pura, quae a fidis Doctoribus, experientissimis artis suae cultoribus, excoli et in summam generis humani utilitatem exerceri amat.

Huic profecto in Civitate bene constituta insignioris commodi atque utilitatis causa locum dari debere, nemo tam perfrectae, credo, frontis reperietur, qui negaverit, nisi forte, qui velit, ut Babylonios imitemur, qui aegrotos in publicum ferebant, ut quilibet de plebe, licet quoque Aesculapii templum numquam a limine salutasset, vel quaevis etiam anicula de miseris ac male affectis corporibus sententiam ferret, remediumque praescriberet: aut putet sentiendum cum illis, qui spreto omni auxilio, obstinate mori malunt quam juvari. Cautius, si quid iudico, cum male habentibus procedendum est, prudentioribusque utendum consiliis. Minus quidem olim erat necessaria Medicinae cognitio, tum, cum parcimonia et frugalitas, quae olim virtutibus adnumerabantur, nondum erant

proscriptae et fugatae. Nunc autem, nunc, cum
luxus et intemperantia Orbem terrarum pervase-
runt, cum Bacchica munera liquido confundun-
tur melle, cum voluptatis avidae libidines teme-
re et effrenate ad potiundum incitantur, cum in
voluptatis Regno corporis et animi vires penitus
exhauriuntur, cum epulae et tempeſtiva con-
vivium, ut cum Cicerone et Seneca loquar, ſto-
machi cruditem, nervorum torporem tremo-
remque adferunt (ut alios graviores et de-
teſtabiliores morbos tacendo praeteream) nunc
inquam medendi Ars quam maxime neceſſaria eſt.
Nec eſt, quod quis nobis objiciat, artem medi-
cam eſſe mere conjecturalem, nec certa neque
indubitata principia habere. Quid? ſit licet incer-
ta, habet tamen ſua, quibus innitatur, fundamenta,
quaeque quotidiana experientia in dies magis ma-
gisque confirmentur. Habet ſigna prognostica
ex obſervationibus, in ſimili morbo notatis, habet
ſymptomata: quibus omnibus inſiſtens Hippocra-
tes ſummam ſibi conciliavit famam, eamque iis-
dem, quibus ſol curſus ſuos, regionibus ac fini-
bus terminavit. Hic nihil Medicum Deo magis
ſimilem reddere, quam futura praedicere, adſere-

re ausus est. Sed summa Medicinae utilitate altius, quam res postulare videtur, provectum me sentio. Cavet certe Medica ars morbis futuris et ingruentibus. Levat, si non medetur. Vitam concedit laetiores ac jucundiores. Et sic membra Reip. saluberrimo instituto defendit et conservat.

Addamus his adeo utilibus Artibus ac Scientiis rerum naturalium cognitionem, quam ἀπὸ τῆς φύσεως, Physicam adpellarunt. Hanc enim quotusquisque profundius scrutatus fuerit, reliquas Artes et Scientias mirum quantum dilucidabit atque inlustrabit, adcuratius cogitabit, copiosius atque ornatius differet. In primis Medicus, ope Physices adjutus, summum sibi robur et praesidium in ea situm deprehendet. Haec ipsa cognitio ut homini ostenderat, magnetem ferrum adtrahere, eundemque se obvertere polis, pyxis nautica excogitari coepta est, ingeniosum illud inventum, nec tantum ingeniosum, sed et Reip. utilissimum. Physica ut magis et magis invaluit, artes mechanicae nitorem vigoremque suum invenere. Quid esset agricultura sine cognitione ferri? Quid Resp. vitaeque communis sine nummis, qui absque

cognitione metallorum effodiendorum et praeparandorum nec flando, nec feriendo fuissent. Physica facit, ut res rerumque inventa plurima ex suis causis cognoscantur, nec statim opus sit cum stupidis et ignorantibus ad ficta miracula recurrere. Physica liberat homines a damnosissimis, in quos ex causarum secundarum ignorantia incidant, aut sane incidere possint, erroribus plurimis. Si enim, ut me exemplo declarem, Physicam calluissent nominis Christiani quondam hostes atrocissimi, minime putassent hos homines causam et originem tot malorum esse et miseriarum, quot suis saepe evenire videbant, nec tantum furoris et saevitiae in innocuam et vitae castitate probatissimam Gentem exercuissent: Sed invenissent alias plane causas naturales, quibus fames, quibus pestis ingruisset, quibus Tiberis exaestuasset, aut Nilus Aegyptiorum agros non inrigasset. Unde iterum patet, Audit. Hum., infinitos eosque pessimos errores ex sola rerum naturalium ignorantia induci posse.

Exposita hactenus variarum Artium Scientiarumque utilitate, omittendum minime esse censemus antiquarum rerum Studium. Obscura illa
Natio

Natio ac fordida certe dici meretur, quae tantum ex recentioribus sapit, recentiora tantum curat, nec ad veteres scriptores Graecos in primis et Romanos sapientiae ex fontibus suis derivandae et augendae causa progredi audet. Illa vere sapere dicitur Gens, quae suarum rerum studiosa, etiam actiones, mores et leges externorum et antiquissimorum Populorum cognoscere desiderat, et scire cupit, quid illi profectuum in Scientiis et Humaniorum Literarum studiis facere potuerint. In antiquitatum Studiis audient Lectores secum loqui, mortuos licet, optimos tamen consultores, Philosophos, Theologos, Jureconsultos, Medicos, Historicos, Oratores et Poetas, quibus omnibus et singulis unum est propositum, ut velint simul et delectare et prodesse. Ex quorum omnium operosa quidem, at jucundissima lectione eruetur major Sapientiae thesaurus: et longe felicius noverit Lector ex recentioribus et antiquioribus simul, quam ex recentioribus solis, quid sibi, quid Civitati, quid Patriae utile futurum, quid damnosum ac proinde sedulo evitandum sit.

Quoniam vero antiqui homines suis sibi que vernaculis linguis, nunc maximam partem, si
usum

usum publicum spectes, deperditis, locuti sunt, res ipsa loquitur, atque adtendentibus plane persuasum esse poterit, vel ob hoc ipsum veterum linguas, maxime autem Graecam et Latinam, esse addiscendas. Praeterea cum non nisi singulari facto accidisse credendum sit, ut Lingua Latina, quae, nisi cum Graeco conjuncta sermone, manca, fluxa et caduca est, per totum terrarum Orbem Lingua sit Doctorum, et quasi aerarium eruditionis merito habeatur, quis non mecum fatebitur, has prae ceteris avide adripiendas, atque ita excolendas, ut legere non tantum et intelligere, sed ista etiam in communem usum ac Reip. commodum atque utilitatem convertere queamus, quae sinuoso harum linguarum ambitu comprehendantur. Non tamen ignoro, quid hic mihi objici possit: Externorum scripta et luculenta Doctissimorum Virorum commentaria, divina pariter et humana a multis jam retro seculis in cujusque Gentis vernaculam linguam esse conversa, aut verti quotidie posse: adeoque operoso taedio, quoque linguarum studio facile posse supersederi. At habeo, quod reponam. Et primum quidem interpretationes, licet ab Eruditissimis Viris profectas


festas (alias nunc tacite praetereo) haud quam posse exprimere Gratias illas ac Veneres, dulces illos lepores, illam vim et ἐνέργειαν, quae in scriptis Graecorum Quiritiumque tanquam totidem gemmae fulgent, radiisque suis omnia colu-
 lustrant. Quis quaeso in versionibus suis adposuit umquam sal illud Graecorum? Quis denique Romanorum expressit urbanitatem? Deinde quid aliud est recurrere semper ad interpretationes, quam in alieno quasi cerebro habitare, et vero genuinoque sensu carere, atque haud raro in ineptias et in periculosissimos incidere errores.

Sic puto A. H. satis superque me ostendisse Literarum Studia Civitatem non tantum exornare, sed inde etiam tamquam ex limpidissimo fonte et perenni scaturigine eximiam utilitatem atque egregia plane commoda in Remp. et Cives redundare.

Loquitur praeterea res ipsa, & longa multorum seculorum id testatur experientia. Felicissima secula minus fuerunt Literis orbata. Optimae Regiones illae semper sunt visae, ubi prae reliquis plus Literarum est repertum. Magis viguit Resp. sub Augusto et Trajano, quam sub Domitiano et Caracalla. Barbararum gentium inruptio

perdidit Italiam : at diuturnior in pristino bonarum
Literarum cultu permansio, si ita fuisset in fatis,
Italiam conservasset. Et nostra sane Patria, quod
coronidis loco dictum velim, quo fuerit literatior,
eo propius ad perfectionem pervenerit.

D I X I.



NOBILISSIMO ATQUE INGENIOSISSIMO
J U V E N I,
JUSTO TAETS VAN AMERONGEN,

QUUM ORATIONE FELICITER HABITA,
AD ACADEMICAS LECTIONES
PROVEHERETUR.



*michi dignis liceat referre
Versibus laudes Juvenis disertis,
Quo Domum claram decore et Lyceum
Numen adornat!
Qui suo curvis Studio probatus
Gratus est Phoebæ Aonidumque turbae;
Laeta quæ cingit meritam virenti
Daphnide frontem.
Quo Tuas laudes, Generose, plectro
Concinam, aut dignos meritis honores,
Quæ Tibi, rarum decus hujus ævi,*

Carmina dicam?

C 2

Plurima

Plurima ut paucis loquar, haud, Amice, es.

Degener. Nomen celebre est Avorum,

Mox Tuum nomen merito canetur,

Qua patet Orbis!

Gloria ut magni Patris in recentem

Transseat ramum, neque dignus Heres

Deferas umquam decus adparatum

Comprecor usque.

Maximus terrae pelagique Reſtor

Faxit, ut Proles bene grata Genti

Sis diu ſoſpes, vigeatque mens in

Corpore ſano!


Vive amor clarae columenque Stirpis,

Perge ſupremos titulos mereri,

Donec aeternis adeas triumphis

Serus Olympum!

JOANNES HUGO VAN STRYEN,
COMMILITO.



NOBI.

NOBILISSIMO ATQUE ELEGANTISSIMO
J U V E N I,
JUSTO TAETS VAN AMERONGEN,

QUUM STADIO GYMNASTICO FELICITER
DECURSO, AD ALTIORA ACADEMIARUM
SUBSELLIA PRODUCERETUR.



As mihi, Musa, loqui, fas voce audita referre,

Fas mihi sit laetos ore ciere modos.

Scilicet, ut labrum Phoebeo fonte rigarem,

Aonium culmen visere cura fuit.

Hoc ego dum tento, videor mihi cernere Musas,

Aurea mulcentes cantibus astra suis.

Admiror sonitum, cupidis hinc auribus adsto,

Cum tales sensi fundere ab ore sonos.

TAETSI, noster amor, praeclarae gloria Gentis,

Exsuperas morum qui probitate Genus,

Dicere fert animus festivo carmine laudes,

Atque animi dotes tollere ad astra Tuas.

*Vidimus e Cathedra docta Te voce docentem,
Quod Studium populo commoda multa ferat.
Quis dubitat? magnos capit hinc Respublica fructus;
Hinc quavis celebres cernimus Arte Viros.
Hinc firmum Patriae surgit columenque decusque:
Surgunt hinc supero commoda digna Polo.
Maeste animi, Juvenis! Studiis qui navus honestis
Servis, et nobis ver juvenile voves.
Miramur dona ingenii, miramur et Artes,
Quas novisse tua dexteritate probas.
Dedere sic Studiis pergas Te, JUSTE, rogamus,
Nec cesses nostris invigilare choris.
Sic per Virtutis transibis Honoris in AEdem,
Ardua sic pandet Phoebus ad astra viam.
Hic reticent, et nulla fuit mihi visa Sororum
Amplius: at licuit fonte levare sitim.*

S. BOITET,
COMMILITO.



GENE.

GENEROSISSIMO ATQUE ELEGANTISSIMO
J U V E N I,
JUSTO TAETS VAN AMERONGEN,
QUUM
POST HABITAM FELICITER ORATIONEM AD
ALTIORA ACADEMIARUM SUBSELLIA
PROVEHERETUR.



*Nunc mihi Phoebe veni numerosi carminis auctor;
Carmina nunc dicta docta Thalia mihi.
Ut mihi dilectum laudem celebremque Sodalium,
Quo mihi non umquam carior ullus erat.
Plandite Pierides laetum Paeana canendo,
Atque hujus nitidam cingite fronde comam;
Eximias etenim duce Phaebo exercuit Artes;
Tantus pro meritis ut tribuatur honos.
Quam juvat in docta bene desudasse Palaestra
Unde sibi victor praemia certa ferat!*

Gratias

*Gratulor ex animo partum sudore Triumphum,
 O liceat laeta voce, Triumphae! canam.
 Dum Patriae ingenuas commendas Palladis Artes
 Romuleus docto manat ab ore lepos.
 Sic pergas, Juvenis, Studiorum tramite recto,
 Neve operis primo limine siste gradum.
 Maeste tua virtute, Tibi praeconia laudum
 Non deerunt, notus, qua patet Orbis, eris.
 Vive diu, Juvenis, facundi Nestoris instar,
 Et maneat noster non simulatus amor.*

JACOBUS VANDER STRATEN,
 COMMILITO.

